

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project  
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XLI. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio  
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.140vb-143ra)

Sciens ihesus cogitationes eorum dixit eis. Omne regnum partitum secundum seipsum, desolabitur, et omnis ciuitas, aut domus, partita secundum seipsam, non stabit, etsi sathanas sathanan proicit, in seipsum partitus est. Qualiter igitur stabit regnum eius?

Commented [ND1]: [fol.140vb]

Etiam hoc accusauerunt, quoniam in beelzebub proicit demonia, sed tunc quidem non increpauit, dans eis et a pluribus signis cognoscere eius uirtutem, et a doctrina discere eius magnitudinem. Quia autem permanebant eadem dicentes, et increpat iam primum quidem in hoc deitatem ostendens suam, in educendo ineffabilia eorum in medium. Secundo autem in proiciendo facile demones, quamuis et accusatio ualde inuerecunda erat. Quod enim dixi, inuidia non querit quid dicat, sed ut dicat solum, sed tamen neque ita contempsit eos christus. Sed respondet cum decenti eum mansuetudine, erudiens nos mites esse inimicis, etsi talia dicunt quae neque ipsi in nos cognoscimus, neque quamlibet habent rationem. Non turbari neque tumultum pati, sed cum longanimitate uniuersa tribuere eis noxias. Quod utique maxime tunc faciebat, ostensionem maximam tribuens, mendatia extendi quae ab ipsis dicta sunt. Neque enim demonem habentis erat, tantam ostendere mansuetudinem, et ineffabilia scire. Etenim et quia ualde inuerecunda erat talis suspitio, et quia multitudinem timebant, neque audebant publicare has accusationes, sed in mente uoluebant. Ipse autem monstrans eis, quoniam et illa nouit accusationem quidem non ponit, neque diuulgat eorum nequitiam, solutionem autem inducit conscientiae eorum qui dixerunt, relinquens redargutionem. Vnum enim ei studium erat solum prodesse peccantibus non publicare, quamuis si tamen uellet longum extendere sermonem, et derisibiles facere, et cum his et uindictam ab eis expetere ultimam, nihil erat quod prohiberet, sed tamen haec omnia relinquens, ad unum respiciebat solum, ut non altercatores eos operetur, sed mansuetos, et ita ad correctionem aptiores faciat. Qualiter igitur eis respondet? nichil a scripturis ait. Neque enim attendebant, sed et secus interpretaturi erant, sed et a comunitate conferentibus. Omne enim regnum ait in seipsum partitum, non stabit, et ciuitas et domus, si scindetur, uelociter dissoluetur. Non enim ita exteriora prelia, ut quae contribulorum sunt, corrumpunt. Hoc enim et in corporibus fit hoc et in omnibus rebus. Sed interim a magis cognitis exempla inducit, quamuis quid regno in terra est potentius? Nichil. Sed tamen perit altercans. Si autem illic tumorem causatur rerum ut a seipso rescissum, quid utique diceret de ciuitate, quid de domo? Etsi enim paruum quid, etsi magnum fuerit, ad seipsum altercans, perit. Si igitur demonem ego habens, per illum proicio demones, altercatio et prelium inter demones est, et aduersus se inuicem stant. Si autem aduersus se inuicem stant, periit eorum uirtus, et corrupta est. Si enim sathanas sathanan proicit, et non dixit demones, monstrans multam eis ad seipsos consonantiam existentem, in seipsum igitur partitus est ait. Si autem partitus est, imbecillior factus est et perit. Si autem periit, qualiter potest alium proicere. Vides quantus accusationis est risus? quanta amentia, quantum est prelium? Neque enim eorumdem est dicere, quidem quoniam stat, et quoniam proicit demones, et dicere quoniam propter hoc stat, propter quod dignum erat eum dissolui, et prima quidem hec est solutio. Secunda autem post illam, que est de discipulis. Neque enim uno solum semper modo, sed et secundo et tercio, dissoluit contradictiones eorum ex superhabundantia obstruere uolens eorum inuerecundiam. Quod et in sabbato fecit, dauid ferens in medium sacerdotes testimonium

Commented [ND2]: [fol.141ra]

Commented [ND3]: *occulta add. super lin.*

Commented [ND4]: *protrahere add. super lin.*

Commented [ND5]: [fol.141rb]

quod dicit, misericordiam uolo et non sacrificium causam sabbati propter quam factum est. Propter hominem enim ait, est sabbatum. Hoc utique et hic facit. Post primam enim ad secundam uenit solutionem priore manifestiorem. Si enim ego ait, in beelzebub proicio demonia, filii uestri in quo eiciunt? Vide et hic mansuetudinem. Non enim dixit discipuli mei, neque apostoli, sed filii uestri. Vt si quidem uoluerint reuerti ad illorum ipsorum **ingenuitatem**, multam hinc accipiant occasionem. Si autem ingrati fuerint, et in eisdem manserint, neque inuerecundam iam habeant excusationem dicere. Quod autem dicit tale est, apostoli in quo proiciunt? etenim proiciebant iam, quia acceperant potestatem ab ipso, et nichil eis inculcabant. Non enim rebus sed personae solum aduersabantur. Volens igitur monstrare quoniam inuidiae erat quae est ad ipsum ea quae dicebantur solum, ducit apostolos in medium. Si enim ego ita proicio, multo magis illi qui a me potestatem susceperunt. Sed tamen nichil tale dixistis eis. Qualiter igitur **michi** qui et illis causa sum eorum quae fiunt, haec inculcatis illos absoluentes ab accusationibus? non tamen hos liberabit a supplicio, sed et magis condempnabit. Propter hoc induxit, ipsi iudices uestri erunt. Cum enim ex uobis existentes, et haec meditates et persuadeantur a nobis et oboediant, manifestum quoniam condempnabunt eos qui contraria, et faciunt et dicunt. Si autem in spiritu dei proicio demonia, profecto peruenit in uos regnum dei. Quid est regnum? **presentia mea**. Vide qualiter eos rursus attrahit et curat, et ad sui cognitionem inducit, et monstrat quoniam propriis aduersantur bonis, et altercantur aduersus suam salutem? deceret enim laetari et exultare, quoniam magna et ineffabilia illa aduenit donaturus, quae olim a prophetis annuntiata sunt, et boni successus uestri instat tempus. Vos autem contrarium facitis, non solum non suscipientes bona, sed et detrahentes et **componentes** non existentes causas, lucas enim ait. Si autem ego in digito dei proicio demonia, monstrans quoniam magnae uirtutis **opus** est demones proicere, et non **contingentis** gratia. Et uult quidem ab his sillogizari et dicere, quoniam si autem hoc est profecto filius dei aduenit, sed hoc quidem non dicit, obumbrate autem et ut illis non graue erat, enigmatice insinuat illud dicens, profecto peruenit in uos regnum **dei**. Vides superhabundantiam sapientie? per ea quae inculcabant, per haec ostendit eius superhabundantiam effulgentem. Deinde ut **attrahat**, non dixit, simpliciter peruenit regnum sed in uobis. Vobis uenient bona, propter quid ad propria bona indelectabiliter dispositi estis, propter quid uestram inpugnatis salutem? Hoc illud est tempus quod olim predixerunt prophetae, hoc est signum **presentiae** traditae ab eis, tanta fieri diuina potestate. Quoniam enim fiunt, et uos noscitis, quoniam autem diuina uirtute res clamant. Neque enim possibile est sathanan fortiorem esse, sed omnino necesse est esse imbecillem. Imbecillem autem non est ut fortem proicere, fortem demonem. Haec autem dixit **amoris** monstrans uirtutem, et altercationis, et discidii imbecillitatem. Ideoque ipse continue discipulos **superius et inferius** de amore ammonet, et quoniam diabolus pro destructione **huius** omnia facit. Dicens igitur secundam solutionem, inducit et terciam ita dicens, qualiter potest aliquis intrare in domum fortis, et uasa eius diripere, nisi prius liget fortem, et tunc uasa eius diripiat? Quoniam enim non potest sathanas sathanan proicere, manifestum ex his quae dicta sunt. Quoniam autem neque aliter possibile est proicere, nisi prius illum superauerit, et hoc ab omnibus est confessum. Quid igitur ex his constituitur? quod antea dictum est cum ampliori superhabundantia. Tantum enim absisto ait, ab hoc utar coadiutore diabolo, quoniam et prelior cum eo, et ligo eum, et huius coniectura hoc quod uasa eius diripio. Vide qualiter contrarium eius, quod illi temptabant, instruere demonstrat. Illi enim uolebant ostendere, quod non propria uirtute proicit demones, ipse autem ostendit, quoniam non solum demones, sed et ipsum eorum principem, cum multa potestate ligatum habet, et illum ante hos tenuit propria uirtute, et manifestum est ab his quae facta sunt. Si enim hic quidem princeps est, hii autem subiacent, qualiter illo non uicto, neque **reflexo** hii direpti sunt? **Hic** autem michi et prophetia uidetur esse

**Commented [ND6]:** [fol.141va]

**Commented [ND7]:** uel me *add. super lin.*

**Commented [ND8]:** uel aduentus *add. super lin.*

**Commented [ND9]:** fingentes *add. super lin.*

**Commented [ND10]:** operatio *add. super lin.*

**Commented [ND11]:** uel cuiuslibet *add. super lin.*

**Commented [ND12]:** [fol.141vb]

**Commented [ND13]:** alliciat *add. super lin.*

**Commented [ND14]:** aduentus *add. super lin.*

**Commented [ND15]:** uel caritatis *add. super lin.*

**Commented [ND16]:** id est ubi quae *add. super lin.*

**Commented [ND17]:** amoris *add. super lin.*

**Commented [ND18]:** uel summisso *add. super lin.*

**Commented [ND19]:** [fol.142ra]

quod dicitur. Non enim utique solum demones uasa sunt diaboli, sed et homines qui quae illius sunt agunt. Manifestum igitur est quoniam non demones proicit solum, sed et errorem orbis terrarum uniuersum abiget, et machinationes eius dissoluet, et omnia quae illius sunt, inutilia faciet, haec dixit, et non dixit, rapiet sed diripiet, id quod cum potestate fit ostendens. Fortem autem eum uocat, non quia natura talis est, absit, sed anteriorem ostendens tyrannidem, quae ex desidia nostra nata est. Qui non est mecum aduersum me est, et qui non congregat mecum spargit. Ecce et quarta solutio. Quid enim ego uolo ait deo afferre? uirtutem docere, regnum annuntiare. Quid autem diabolus et demones? contraria his, qualiter igitur qui non mecum congregat, neque mecum est, erit cooperaturus. Et quid dico cooperaturus, contrarium autem et spargere ei desiderium est, ea quae mea sunt. Qui igitur non solum non cooperatur, sed et spargit, qualiter tantam ad me concordiam demonstrabit, ut mecum demones proiciat? Hoc autem non de diabolo solum, sed et ipsum de seipso, decens est suspicari dixisse, ut aduersus diabolum existente et spargente ea quae illius sunt, et qualiter ait, qui non est mecum aduersum me est? hoc ipse quod non congregat. Si autem hoc uerum est, multo magis qui aduersus ipsum est. Si enim qui non cooperatur, est inimicus, multo magis qui cum eo preliatur. Haec autem omnia dicit, ut multam eius, et ineffabilem ad diabolum inimicitiam existentem ostendat. Dic enim michi. Si oportuerit cum aliquo preliari, qui non uult tibi auxiliari, hoc ipso non est aduersum te? Si autem alio ait, qui non est uobiscum pro uobis est, non est contrarium huic. Hic enim ostendit aduersus ipsos existentem. Illic autem ostendit in parte cum ipsis existentem. In nomine enim tuo ait, proicio demonia. Michi autem uidetur hic et iudeos enigmatace insinuare, cum diabolo statuens eos. Etenim et ipsi aduersus eum erant, et spargebat quae congregabat. Quoniam enim et eos enigmatace insinuabat, **manifestauit** ita dicens. Propter hoc dico uobis, quoniam omne peccatum, et blasphemia dimittetur hominibus. Quia enim excusando respondit, et oppositionem soluit, et ostendit inaniter esse inuerecundos, terret iam. Etenim et hoc consilii et correctionis non parua pars est, non solum accusando respondere et suadere, sed et minari. Quod multis in locis facit, legislationem faciens et consilians. Et uidetur quidem incertitudinem multam habere quod dictum est. Si autem attendamus, facilem habebit solutionem. Prius igitur ipsa necesse est uerba audire. Omne ait peccatum et blasphemia dimittetur hominibus. Blasphemia autem spiritus non dimittetur eis. Et quicumque dixerit sermonem aduersus filium hominis, dimittetur ei. Quicumque autem dixerit aduersus spiritum sanctum, non dimittetur ei, neque in presenti seculo neque in futuro. Quid igitur est quod ait? multa aduersus me dixistis, quoniam erroneus, quoniam deo contrarius, haec uobis dimitto poenitentiam agentibus, et non expeto a uobis uindictam. Blasphemia autem spiritus non dimittetur poenitentiam agentibus, et qualiter haberet hoc rationem. Etenim et haec dimissa est poenitentiam agentibus. Multi denique eorum qui haec dixerunt, postea crediderunt, et omnia eis dimissa sunt. Quid igitur est quod ait? quoniam super omnia, hoc peccatum, non ignoscibile est. **Quid igitur?** quoniam eum quidem ignorabant, quis esset. Spiritus autem sufficientem acceperunt experientiam. Etenim prophetae per eum locuti sunt, quaecumque locuti sunt, sed et omnes qui in ueteri testamento fuerunt, maximam de ipso habuerunt intelligentiam. Quid igitur dicit, hoc est. Esto, me offenditis propter carnem circumpositam. Numquid et de spiritu habetis dicere, quoniam ignoramus eum? Propter hoc non **ignoscibilis** uobis est haec blasphemia, et hic et illic dabitis uindictam. Multi enim hic puniti sunt solum, ut qui fornicatus est, ut qui indigne **participauerunt** misteriis apud corinthios. Vos autem et hic et illic. Quaecumque igitur blasphemastis aduersum me ante crucem dimitto, sed et ipsam crucis audaciam, et pro infidelitate condempnabimini sola. Neque enim qui ante crucem crediderunt, plenam fidem habebant, sed et multis in locis iniungit nulli manifestum eum facere ante passionem, et in cruce hoc dixit dimitti eis peccatum. Quae autem de spiritu dixistis, haec

Commented [ND20]: [fol.142rb]

Commented [CN21]: cur add. super lin.

Commented [ND22]: uenialis add. super lin.

Commented [ND23]: [fol.142va]

non habebunt ueniam. Quoniam enim de his quae meum ante crucem dicta sunt ait, induxit. Quicumque dixerit sermonem aduersus filium hominis, dimittetur ei. Quicumque autem dixerit aduersum spiritum sanctum, non adhuc, propter quid? quoniam hic cognitus uobis est, et ad manifesta inuerecundi estis. Etsi enim me dicatis ignorare, non utique et illum ignoratis. Quoniam et demones proicere et sanitates perficere sancti spiritus opus est. Non ergo michi contumelias infertis solum, sed et spiritui sancto. Ideoque ineuitabilis uobis condempnatio erit et hic et illic. Etenim hominum hii quidem et hic puniuntur et illic, hii autem hic solum, hii autem neque hic, neque illic. Hic quidem et illic, ut hii ipsi. Etenim et hic dederunt uindictam, cum passi sunt intolerabilia illa, ea quae hic est ciuitate capta, et illic difficillimam sustinent sicut sodomae ciues, sicut alii multi. Illic autem solum ut diues frixus, et neque guttae dominus existens. Hic autem ut qui fornicatus est apud corinthios, neque hic, neque illic, ut apostoli, ut prophetae, ut beatus iob. Non enim penaerant quae patiebantur, sed agones et palestrae certamina.

**Commented [ND24]:** operatio add. super lin.

**Commented [ND25]:** iudei add. super lin.

Studeamus igitur partis horum effici. Si autem non horum, saltem eorum qui hic dissolunt peccata. Etenim terribile est illud iudicium, et ineuitabilis est pena, et intolerabile est illud tormentum. Si autem uis neque hic dare uindictam, decerne de teipso, expete a teipso noxias. Audi paulum dicentem, quoniam si nosmetipsos iudicaremus, non utique iudicaremur. Si hoc feceris, uia proueniens et ad coronam deuenies. Et qualiter expetemus uindictam a nobisipsis ait? Luge, ingemisce amare, humilia teipsum, uitupera, rememora peccatorum secundum speciem, non parua examinatio animae est hoc. Siquis in compunctionem deuenit, nouit quoniam maxime omnium anima his punitur, si qua facta est peccatorum memoria, nouit dolorem qui hinc est, propter hoc iustitiam premium ponit, deus tali penitentiae dicens. Dic primus tu peccata tua, ut iustificeris. Non enim est paruam ad correctionem, congregantes omnia peccata secundum speciem existentia, uertere continue et excogitare. Qui enim facit hoc, ita compingetur, ut neque uita dignum seipsum esse estimet. Qui autem hoc estimat, cera omni mollior erit. Ne enim michi fornicationes dicas solum, neque adulteria, neque haec quae manifesta et confessa sunt ab omnibus, sed et occultas insidias et calumpnias et accusationes et uanam gloriam et inuidiam, et omnia talia congregata. Neque enim haec paruam ferent penam. Etenim conuitiator in gehennam cadet, et qui inebriatur, nichil habet commune ad regnum. Et qui non diligit proximum, ita offendit deum, ut neque martyre effecto ipso proficiat. Et qui proprios negligit, fidem negat, et qui pauperes contempnit, in ignem mittetur. Ne igitur paruam haec estimes esse, sed congrega omnia, et sicut in libro scribe. Si enim tu scripseris, deus delebit, sicut si tu non scripseris, deus et inscribit, et uindictam expetit. Multum igitur melius est a nobis ea scribi, et desuper deleri, quam contrarium nobis obliuioni tradentibus, deum ea ante oculos nostros, offerre secundum diem illam. Vt igitur non hoc fiat, omnia cum diligentia recogitemus, et inueniemus multis nosipsum obnoxios existentes. Quis enim ab auaritia purus? Ne enim michi mensuram dicas, sed quoniam et in paruam, eandem dabimus uindictam, hoc excogita, et penitentiam age. Quis enim a conuicio erutus est? Hoc autem in gehennam immittit, quis occulte proximo non maledixit, quis non diffidentiam habuit? Hic autem omnibus est immundior. Quis autem non incontinentibus aspexit oculos? hic autem mechus perfectus est. Quis non iratus est fratri inaniter? hic autem reus est concilio. Quis non iurauit? hoc autem pernicioso. Quis non seruiuit mammonae? hic autem a propria cecidit christi dilectione, et alia habeo maiora his dicere, sed sufficiunt et haec, quae et sufficientia sunt, non lapideum existentem, neque insensibilem, in compunctionem ducere. Si enim unumquodque eorum in gehennam immittit, omnia simul conuenientia quid non operabuntur? qualiter igitur est saluari ait? Contraria his farmaca imponentes, misericordiam,

**Commented [ND26]:** Morale xli. quoniam oportet nos malitie contraria opera facere, si regno caelorum digni efficiendi erimus notum in marg.

**Commented [ND27]:** [fol.142vb]

**Commented [ND28]:** diuinitus add. super lin.

**Commented [ND29]:** [fol.143ra]

**Commented [ND30]:** uel elationem add. super lin.

**Commented [ND31]:** uel completus add. super lin.

**Commented [ND32]:** singulum add. super lin.

orationes, compunctionem, penitentiam, humilitatem, cor contritum, despectionem eorum quae nobis sunt. Decem mille enim vias salutis, constituit deus si uelimus attendere. Attendamus igitur et per omnia uulnera expurgemus, miserentes iram his qui contristauerunt dimittentes, gratias agentes pro omnibus deo ieiunantes secundum uirtutem, orantes **proprie**, amicos **nosmetipsos** facientes, ex mammona iniquitates. Ita enim poterimus, et ignoscentia delictorum potiri, et promissis perfrui bonis, quibus fiat omnes nos dignos effici, gratia et filantropia id est amore hominum, domini nostri ihesu christi, cui gloria et imperium in secula amen.

**Commented [ND33]:** uel familiariter *add. super lin.*

**Commented [ND34]:** uel his *add. super lin.*